

**05**

**A**

**1755**









I. N. 7.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

Unione & Communica-  
tione.

Quam

PRO LOCO

IN AMPLISSIMO FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
COLLEGIO BENEVOLE SIBI CONCESSO,

*Examinandam publicè proponit*

M. ADAMUS SPENGLER,

Neukircho-Var, Seren. Elect. Saxon. Alumnus,  
& Gymnasij Berlinensis vocatus Rector.

*Respondente*

M. JOHANNES ERNESTO BORNITIO

Wurzenâ-Misnico.

*In Auditorio Majori.*

ad d. 3. Julij.



WITEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO MDC. XLI.






5571 A 50





בגבורת השם:



Non minus vetustate quam veritate pro-  
critum est adagium illud: ἡ δόξα βιάζεται  
τὴν ἀλήθειαν, *Opinio vim facit veritati.*  
Etenim quorum animos vel semel caeca  
hac sibi blandiendi libido occupavit, ita  
mirifice eos deinceps devinctos tenet, nec  
non obstrictos, ut pertinaciter etiam er-

rores eant defensum ipsi maxime pertinaces; pertinax (Gers: par.  
enim ille omnino censendus est, qui non dimittit er- de erroribus  
rorem suum, nec quaerit cautâ sollicitudine veritatem,  
vel quaesitâ & doctâ non obædit. Luculentissimum sane,  
ne quid procul eamus, testimonium nobis suppeditant Ad-  
versarij nostri, qui opinionibus tum in Theol: tum Philos:  
falsis excecati, tantum abest iis, toties etiam à nostratibus  
moniti, immò convicti, repudium mittant, ut potius stre-  
nuè iis indulgeant, varia nudis suis nec non à vero exutis,  
opinionibus περιζώματα queritantes. E multis saltem pra-  
sentem, quam discutiendam nobis pro more selegimus, in-  
tuere mihi materiam, de Unione scilicet & Communicatione,  
quam preconceptis suis opinionibus sanè-egregie- quam con-  
taminatam nobis dedere, nec non labefactatam. Quare  
cum & utilitatis & difficultatis haec doctrina spiret non mi-  
nimum, certis eam thesibus inclusam cum annexis sub fi-  
nem questionibus nobilioribus pro virili, ( nostris tamen  
cancellis inclusi ) dabimus, freti Numinis Divini, quod, fe-  
lici coepta decurrant tramite, sedulò calideq; invocamus,  
auxilio.



## Thesis I.

**Q**uod aurifaber discipulo suo, aurum probum ab orichalco discernat, commonstrare solet, nec non præire, id nos in frontispicio observasse circa voces tum Unionis tum Communicationis, spurias pro legitimis, pro veris falsas ne arripiamus acceptiones, non pigrabimur, pensi habentes monitum Galeni, quod docentibus & disputantibus lib. I. Metaphysicæ præcipit: *Absq; distinctione vocis ambiguae ad rei considerationem venire, est tempus perdere velle.*

### II.

Constat autem, quod apud Philosophos Unio sumatur  
1. Pro actione unientis, quæ se tenet ex parte efficientis, qui unit v. g. in corpore materiam & formam efficienter, in ferro candente ignem & ferrum, in carbone lignum & ignem, in homine animam & corpus. 2. Pro passione unibili sive nexu substantiarum v. g. materiæ & formæ, seu pro illapsu, quo forma sese in materiæ substantiam penitus insinuat, sicut & ignis in ferrum candens, aut anima in corpus vivum. 3. Pro relatione unitorum, quæ ipsam unionem & nexum subsequitur, qualis est inter partes unitas. 4. Pro modo uniendi, qui resultat ex actione, quæ est proximum fundamentum relationis, ita ut ista quatuor ordinem inter se habeant, secundum diversam naturæ instantiam. In primo est *Unio seu unio*, quæ se tenet ex parte efficientis: In secundo est *Passio* ex parte unibilium: In tertio est *Modus uniendi* quidam resultans ex actione, qua unibilia formaliter dicuntur unita tanquam effectus formalis proveniens à causâ suâ formali: In quarto deniq; est *relatio*, quâ unitum refertur ad aliud. Unitas enim se mutuo respiciunt. *Ita Svaretz disp. 15. Metaph. sect. 6. num. 10. scribit unionem accipi interdum pro actione, quæ ad tollendam equivocationem solet dici Unio, interdum verò ac magis propriè pro ipso modo unionis vel inbarentiæ permanentis in facto esse inter materiam & formam: aliquando pro relatione consequenti, de qua Thomas latè agit part. 3. summ. quest. 2. artic. 8. Modus autem unionis est formalis nexus inter materiam & formam, ut ibidem notat Svaretz. Plura vide sis apud Mendozam disp. 5. Physicæ. sect. 1. §. 1.*

### III. Nos



### III.

Nos respicimus & intuemur Unionem hinc, non ut notat ipsum actum, qui fit in instanti, & transitorius est, cum scilicet aliqua extrema ab agente sociantur, cujusmodi v. g. est actio agentis, per quam aquæ spongiam applicat intingendo, ut inter se uniantur: Hæc enim est fundamentum & proxima causa unionis, quam supponimus. Nec eam in latâ accipimus significatione, quâ & ea, quæ secundum rationem ratiocinatam distinguuntur, inter se unita à nobis concipiuntur, quemadmodum humanitas & Petrus inter se uniuntur. Sed partim pro ejusmodi nexu, ubi unita realiter inter se sunt distincta, partim etiam pro mutuo isto, quem Unio adversum communicationem obtinet, respectu, *juxta Veterum pronuntiatum: Ubi unio, ibi datur communicatio*, cujus notæ unio reperitur inter ferrum & ignem.

### IV.

Hanc Suidas & Phavorinus sic definiunt: *ἕνωσις ἐστὶ συνδραμὴ κοινωτικὴ τῶν διαστώτων πραγμάτων*. Quam definitionem Calovius in *Metaph. Divinâ* his exprimit verbis: *Unio est concursus communicabilis rerum per naturam distinctarum*. Et præcisè quidem Unio consistit in conjunctione seu nexu unitorum, quod unum fit indivisum, id quod ex usu terminorum notissimum est. Aliàs & hoc modo describi potest: *Unio est modus realis, quo plura realiter & ante omnem mentis operationem distinctè ita inter se copulantur, ut ex illis unum quiddam constituatur*.

### V.

In quâ definitione, ut & in omni alia, *duo castigatiois Philosophiæ præsidia* (ita à Reverend: & Excellent: Dn: L. Scharffio in disputatione de accurato Philosophandi genere thesi 25. salutantur) insuper habenda haud sunt, *Materiale scilicet & formale*.

### VI.

Materiale unionis dici possunt vel naturæ seu res Unitæ, quarum est Unio, ad eum quippe modum, quò aliàs natura est materiale modorum & affectionum suarum, vel si mavis, *modus realis; modus quidem, quia unio determinat vel af-*



ficit rem constitutam & productam, eiq; intimè affixa est, non enim unio per se sufficit ad novam & peculiarem entitatem constituendam, sed saltem modificat rem. Dicitur realis ad exclusionem fictionis: subjecta enim unibilia realiter, non ratione, discrepare debent, ut in seqq: audiemus.

VII.

Formale unionis est realis ac mutua extremorum conjunctio: per hoc enim ultimatè unio concipitur, nec non ab omnibus aliis modis sequestratur. Dico realis, quia unio ista non debet esse fictitia, nec extrema solâ ratione distincta. Inter hæc namq; intercedere potius videtur unitas & idèntitas realis, quàm unio realis. Unum sibi ipsi uniri nequit, jam verò solâ ratione contradistincta in re non sunt distincta, sed unum quid reale, unde etiam realiter copulari nequeunt, hinc non datur unio propriè dicta inter genus & speciem, vel speciem & individuum, quia hæc non differunt realiter.

VIII.

Additur autem in definitione, ut ex illis unum quid constituatur. Hoc unum ex extremis resultans non est aliud, quàm ipsa extrema componentia simul seu in sensu composito considerata, à quibus non nisi ratione distinguitur, dum ipsis nihil superaddit nisi unitatem, distinctum tamen etiam est ab extremis unitis seorsim seu in sensu diviso. Sic ex unita animâ & corpore emergit homo, ex unito ferro & igne resultat ferrum ignitum.

IX.

Hactenus de definitione Unionis, sequuntur divisiones, quarum potiores & usitatiores tantum perscrutabimur.

X.

Dispersi solet Unio in realem & verbalem, quæ tamen nominis potius, quàm ipsius rei distinctio audire debet. *Realis & propriè dicta est inter extrema verè coherentia, cum exclusionem separationis & distantiam, adeoq; cum inclusionem propinquitatis, presentiam ac mutua copulationis.* Unio enim vera ( verba sunt B. Meisneri part: I. Philos: Sobr: p. m. 360. ) *realem notat unito-*

r unio



rum praesentiam, ita quidem, ut ubi unitum unum est, ibi & statim sit unitum alterum. Finge tu animam à corpore absentem, & unionem omnem solvisti. Hinc subtilis: Scal. exercit: 307. sect. 16. quae sibi mutuò non sunt praesentia, non sunt conjuncta, sed disjuncta. Ideoq; non unita sed separata, fieri enim non potest, idem esse extra rem & in re, separabile & conjunctum. Unde facile patet error Keckermanni satis crassus, quando Systemat: Log: (pag. 117.) veram & realem unionem ac cohaesionem urget, inter corpus Christi tantum in caelis existens & inter 1. Ecclesiam in terris militantem, 2. panem Eucharisticum in coenâ. Ratio enim unionis propriè sic dictæ vera ac realis requirit intimam unitorum praesentiam, Sequeretur etiam res longâ locorum intercapedine disjunctas sibi mutuò praesentes adesse, quod ἀτόπον.

#### XI.

Est autem haec unio realis triplex, Essentialis, Suppositalis & Accidentalis. Quae divisio ut hodiè usitata valde est, ita eam non immeritò retinemus.

#### XII.

Unio essentialis est, qua plura essentialiter uniuntur ad unam essentiam constituendam, ut in homine anima & corpus. Suppositalis est, quâ plures naturae uniuntur ad unum suppositum constituendum, ut natura ignis & natura ferri in ferro candente, quò pertinet unio personalis, de quâ Theol: Unio accidentalis est, quâ res plures accidentaliter conjunguntur ad unum per accidens constituendum. Sic in uno homine uniuntur Philosophia & Theologia. Quomodo autem hæc unio variet vide sis Theor: transcend: adm: Rev: & Excell: nostri L. Scharffii.

#### XIII.

Quibusdam unionem realem ita dispescere placet: Unio est vel communis vel singularis. Communis est vel naturalis vel artificialis. Naturalis est vel essentialis, ut materia & forma, anima & corporis, quatenus ex iis constat natura humana, vel personalis (καθ' ἑωσύναν) anima & corporis, quatenus ex utroq; constat unus homo, vel carnalis seu socialis ut Viri & Uxor. Artificialis, ut aqua & vini mixtio,  
talie



talis est 1. conspersio (Φυρμός) cum ex farina & aqua fit tertium  
scil: panis. 2. confusio (σύγχυσις) cum ex contusis cinamomo, gingi-  
bere & pipere fit tertium genus aromatum. 3. commixtio, cum ex  
aquâ & melle fit mulsum, (σύνθεσις). Singularis, quæ datur in  
Theologiâ. vid. Lex. Phil. Goclenij.

XIV.

Unio verbalis est, quæ in nuda verborum attributione  
& convenientia consistit, ut in locutionibus figuratis & im-  
propriis v. g. Herodes est vulpes, Nero est Leo.

XV.

Præterea unio est vel Interna, quando unum unitum  
alteri inexistit & περιχωρήσειd permeat, Sic partes uniu-  
tur in toto. Vel externa, quæ saltem fit per contactum fo-  
rinsecum. Sic manus unitur cum baculo.

XVI.

Estq; hæc, externa scil. vicissim duplex, propria & im-  
propria. Propria, quando revera plura extrinsecus con-  
junguntur, quod fit vel contactu vel juncturâ, vel glutine, vel  
alio modo. Impropria, quando nuda χέσις seu habitudo in-  
ter unibilia intercedit, etiamsi vel maximè sint disseparata.  
Hæc est duplex, Socialis & Moralís, de quibus vide libellos  
tùm Metaphys. tùm Ethicor. Nos properamus ad commu-  
nicationem tanq. Consequens seu effectum Unionis.

XVII.

Est autem & Vox communicationis ex eorum numero  
quæ πολλάχως λέγονται. Denotat enim 1. unitatem alicujus  
rei, quæ in pluribus ὡσαύτως seu æquè primo reperitur, ut v. g.  
natura animalis ex æquo competit & homini, & bruto, sed  
hæc significatio hîc non militat, cum communicatio ista proprie-  
tati contradistingvi solet. Nec 2. acceptatur à nobis pro  
voce communi, quando æquivoca sunt communia multis re-  
bus quoad nomen, ut notum est ex Logicâ, quæ communi-  
catio aliàs dicitur verbalis, ut Herodes est Vulpes, Nero est Leo,  
ubi non Leonis essentia, quæ formaliter & propriè voce leo-  
nis significatur, Neroni inexistit, sed crudelitas leonina, quæ

tre picè



tropicè voce prædicati designatur. Nec 3. pro translatione alicujus ab una re ad aliam, ita ut prior illa, factâ communicatione, eo ipso quod communicatur, careat, ut quando vinum de uno vase transfunditur in aliud. Sed communicatio (prout eam etiam sic accipit B. Chemnizius in de duabus naturis in Christo, libello,) *ex usu loquendi indifferenter & promiscuè usurpatur, ita ut res, quæ communis vel quasi communicabilis est, uni conveniat πρώτως, alteri δευτέρας.* Et sic impræsentiarum nobis quoq; venit.

### XVIII.

Describitur hoc modo. Communicatio est unius, quod commune est, à pluribus participatio, sive quoad nudam possessionem, sive quoad ulteriorem etiam usurpationem & operationem. Hinc Cl. Gutk. disp: Metaph: 13. thes: 53. *Communicabile est una res, de quâ multa participant, sive id fiat, quæ ad possessionem, sive contingat quoad usurpationem.*

### XIX.

Solent autem communiter *quatuor* poni *requisita*, quorum & meminit Dn. Keslerus in Metaph: Phot: p. m. 187. ad communicationem necessaria. 1. *unum aliquod participabile*, tale est, v. g. calor. 2. *plura participantia*, ut ignis & ferrum. 3. *unius in pluribus unitas*. Sic idem numero calor est in igne & in ferro. 4. *plurium in uno unio*, ut ferrum & ignis in uno supposito uniuntur.

### XX.

Quæ quatuor requisita in sensu composito & rigoroso tantum de principali analogato communicationis, quæ est κατ' ἐνωσιν seu κατὰ συνδυασιν intellecta volumus, reliquæ namq; species communicationis κατὰ μετέκτασιν, κατ' ἀλλοποίησιν, κατὰ χρῆσιν, de singulis requisitorum non participant, ut ex ipsis exemplis facilè liquet.

### XXI.

Hic antequam ad divisionem communicationis trans-eamus, monendum ducimus, unum istud in pluribus, cujus in definitione facta fuit mentio, quamvis utrisq; realiter diversis subje ctis competat vi regulæ Logicæ: *Dici de aliquo requirit*

B

inesse,



inesse, non tamen eodem modo seu æqualiter illis inesse,  
verum alteri κατὰ φύσιν, κατ' αὐτὸ, πρῶτως, ἀμέσως, tanquam  
subiecto inbætionis, alteri verò κατ' ἔνωσιν, κατ' ἄλλο δευτέρως, ἐμέ-  
σως, mediante ὑποκειμένῳ πρῶτω, ἀδεογ, ut subiecto prædicationis.  
Κοινῶς quidem obtinetur, usurpatur & prædicatur de utroq, non ta-  
men παρῆσως, verum ἀνίσως, quod per omnem disputationis  
campum probè observatum volumus, & sic faciliè quoque  
Adversariorum φλυαρίας eludere erit, nec non elidere.

XXII.

*Communicatio est vel Realis vel Intellectualis.* Illa est inter  
ea, quæ ante omnem mentis nostræ negotiationem distincta  
de uno aliquo communi participant.

XXIII.

Estq; triplex. Vel enim *communicatio* intercedere potest  
*inter accidens & accidens*, quando duo accidentia disparata in  
uno subiecto unita de se invicem in concreto prædicantur, ut  
Theologus est Philosophus: *Vel inter accidens & substantiam*,  
quando id, quod accidentis est proprium, propter inhæren-  
tiam ipsi substantiæ attribuitur, sic difficulter contineri ter-  
minis propriis secundum Aristotelem, est proprium humidi-  
tatis, & tamen propter inhærentiam dicitur etiam de aquâ:  
*Vel inter substantiam & substantiam*, quâ unius substantiæ pro-  
prium alteri communicatur.

XXIV.

Considerari hæc potest *communicatio vel ratione subje-*  
*ctorum disjunctorum* siue ἀσυνδυάσιων, *vel ratione conjunctorum* seu  
συνδεδυασμένων. Prioris generis tres dantur communicationis  
species, 1. κατὰ μετέκβασιν seu *secundum transgressionem*, quâ  
communicatum deserto communicante transit ad id subje-  
ctum, cui fit communicatio. Sic sonus campanæ transit ad  
ingressuros templum. 2. κατ' ἄλλοποιώσιν *secundum productio-*  
*nem alterius similis* quâ non ipsum communicantis proprium,  
sed ejus simile specie, numero tamen diversum in altero pro-  
ducitur, ita præceptor communicat discipulo eruditionem.  
3. κατὰ χεῖσιν *secundum usurpationem*, quâ id quod est unius  
proprium κατὰ κτήσιν, alteri communicatur quoad χεῖσιν.  
Sic



Sic in primitiva Ecclesia omnia erant communia. Sic amicorum bona communia dici sunt solita. Posterioris generis communicatio est inter substantias conjunctas, quæ essentialiter quidem sunt distinctæ, non tamen localiter, verùm arctæ inter se unitæ. Hæc vocatur *κοινωνία κατὰ συνδύασιν ἢ κατ' ἐνώσιν.*

XXV.

Estq; iterum duplex, vel *impropria* vel *propria*. Illa est, qua proprium partis in prædicatione per synecdochen toti attribuitur propter illam partem, per canonem Logicum: *proprium partis rectè tribuitur toti propter illam*, ita ut pars sola sit subjectum inhæſionis, totum verò denominationis: Sic æthiops dicitur niger propter cutem.

XXVI.

Communicatio *per συνδύασιν propria est*, quâ propter unionem id quod est unius proprium, alteri subjecto unito realiter distincto realiter confertur & communicatur ad communem possessionem, usurpationem & denominationem.

XXVII.

In hâc descriptione mentio fit i. causæ communicationis, nempe unionis. Ubi enim datur cōmunicatio hæc, ibi necessum est præcessisse unionem, qualem quidem supra determinavimus. Est autem unio causa communicationis, non *ἀπλῶς* & simpliciter, sed *κατὰ τί* & limitatè, ratione proprii  
1. *non repugnantis ἀντιφατικῶς* naturæ subjecti alterius, quia  
1. omne receptivum recipit non per modum imprimantis, sed per modū receptivitatis suæ. Hinc immortalitas animæ proprium, corpori non est communicata propter terminorum repugnantiam, implicat enim esse corpus & esse immortale.  
2. Unio non destruere, sed perficere amat, hinc facile apprehendere est, cur anima de corporis proprietatibus v. g. de mortalitate, gravitate &c. non participet, quia in deteriores hâc ratione statum detruderetur, quod est contra finem unionis.  
2. *Operativi, non quiescentis*: sunt enim propria vel *ἐνεργητικά* vel *ἀνενεργητά*. Sic vita ac sensus animæ communicantur corpori,



non item incorporeitas ac immortalitas. 3. *conferentis ad finem unionis*, potest enim unum conferre ad finem, propter quem facta est unio, alterum non perinde conferre. Sic intellectio animæ, quia non confert ad finem corporis, ei quoque non est communicata.

### XXVIII.

Deinde quoque notari debet modus communicationis, qui consideratur vel κατ' ἄρσιν vel κατὰ θέσιν. Illo modo removentur spurii, quales sunt 1. *multiplicatio*. 2. *transfusio*. Fit ergò communicatio 1. sine sui multiplicatione: non enim crasso adeò sub aere nati sumus, ut statuamus, proprium unius multiplicari in altero, cui communicatur, seu in diversis inhærerere subjectis, hæc enim ratione proprium foret non proprium. Hinc appositè Dn. Schröderus, *non si duplex sit subjectum, necesse est duplex fieri proprium, quod ab uno communicetur alteri*. 2. sine transfusione. Non enim quemadmodum, v. g. vinum ex hoc dolio transfunditur in aliud, sic etiam propria de subjecto in subjectum transfundi asserimus. Manent enim nobis sarta tecta axiomata illa Philosophica, *propria sua non egrediuntur subjecta, non migrant de subjecto in subjectum*. Hoc modo ponuntur genuini. 1. est *Possessio*, quæ non parilis est, sed diversa, ut superius notari iussimus. Nimirum proprium subjecto communicanti inest πρώτως, participantī δευτέρως. 2. *usurpatio*, 3. *denominatio*. Et tantum de communicatione reali.

### XXIX.

Intellectualis communicatio est, quæ fit inter subjecta distincta, non realiter, sed sola ratione differentia: dicitur *communicatio κατὰ μέθεξιν secundum participationem essentialem*, quâ species participant definitionem & propria generis, individua specierum. Quicquid enim generi competit, ut πρώτω ὑποκειμένω, idem quoque per communicationem & δευτέρως competit speciei, nempe ratione generis, eodem modo, quod speciei inest, id quoque individuo inest. Hoc enim est μετέχεσθαι τὸ μετεχομένον λόγον ὑποδέχεσθαι Arist. 1. 4. Top. 1. & 3. Vid.



Vid. Adm. Rev. Amplissimumq; Dn. Jac. Mart. in de communicatione proprii libello.

XXX.

Ex his liquere poterit, quid Unio sit, & quotuplex: quid itidem communicatio, & quotuplex: Subnectemus nunc etiam quasdam quaestiones.

## QUÆSTIO I.

*An unio sit causa communicationis?*

Calviniani in negativam descendunt. Sic enim Goclenius in Lexico suo Philosophico: *Unio seu συνδυασμός realis non infert necessariò communitatē in unitis*. Et subjicit exemplum, *anima intelligens corpori humano unita est, itaq; est in corpore anima intelligens seu anima & intellectus unione, quæ hominem facit intelligentem, non autem reali communionē, quæ corpus pariter ac hominem facit intelligentem, nulla enim pars corporis intelligit*. Hæc ille. Sic Sohnius in Exeg: Aug: Conf: ad artic: 2. *Unio diversarum naturarum sicut non efficit, ut una natura sit altera: Ita non efficit, ut qualis est una natura, talis etiam sit altera*. Verum nos affirmativam tenemus, & quidem cum discretionis sale, præsuppositis etiam quæ thesi 25. dicta. 1. *non quamvis hic intelligendo unionem, sed realem & propriè dictam*. 2. *communicatio quoq; distinguenda est, quædam enim communicantur, quæ rem tantum, quædam etiam quæ rem & quæ prædicationem*. Seu, ut alii hoc proponere gestiunt: Communicatio aut sumitur pro κτήσεις & possessione idiomatum, & vocatur *indenominans*; aut pro χρήσεως ratione operationis & ενεργησιών & quæ communicatio dicitur *denominans*. Fundamentum hujus distinctionis est *propriorum diversitas*. Quædam enim sunt tacita & quæta, quæ subjectum, cui communicantur, immediatè non denominant: Quædam verò sunt operosa & ενεργητικά & hæc & quæ rem & quæ prædicationem communicantur. Exempla thesi 25. sunt producta. Quibus præmissis probo quaestionem de Unione primùm essentiali. Suppono autem tritissimum

B 3

mum



num illud Philosophorum axioma: *Ex duobus entibus completis incommunicabilibus non potest constitui unum per se incommunicabile, eò quod ex duobus actibus per se in aeternum non possit fieri unus actus*, Scal: exercitat: 6. l. 5. Ita non possunt concurrere ad unum per se constituendum actus & potentia, quin statim insequatur quaedam *περιχώρησις* atq; *κοινωνία*, quâ actus potentiam perficiat, actuet, & perfectius unitorum id, quod indiget perfectione, intimè pervadat, eidemq; perfectionem debitam communicet. Argumentor:

**Q**uæ unio ex diversis rebus unitis facit unum per se, illa est causa communicationis, ut scilicet unum alteri eas perfectiones proprias communicet atq; impertiat, sine quorum communicatione unum per se constitui nequit prorsus.

**A**tqui unio essentialis sive naturalis, qualis est inter materiam & formam in corporibus omnibus, inter elementa & formam mixti in mineralibus mixtisq; omnibus, inter corpus & animam in omnibus universim viventibus, ex diversis rebus unitis facit unum per se.

**E.** Unio illa essentialis sive naturalis est causa communicationis, ut scilicet unum alteri eas perfectiones communicet atq; impertiat, sine quorum communione unum per se constitui nequit prorsus.

Minor propositio extra omnem dubietatis aleam posita est. Sic enim essentialiter unitæ, forma & materia, faciunt corpus, quod unum per se esse nemo diffiteri potest, nisi qui cerebrum in calcaneo gestet. Major probatur exinde, quia unum per se fieri non potest, nisi per actum & potentiam, h. e. nisi res unitæ se mutuo permeent per modum actus & potentiae.

Ita verò actus intimè circumplectitur potentiam, eamque immediatè per seipsum actuat, sicq; ad speciem certam determinat. Neutrum horum ullo modo fieri potest, nisi actus seipsum communicet potentiae, eiq; suam vim propriam elargiatur, adeoq; & potentia verè & realiter participet de actu, per quem propterea dicitur actuata & determinata. Sic forma in corporibus materiae suae communicat actum, qui proprius



prius formæ est, anima viventi corpori vitam animale. Cæ-  
terum Unionem quoq; Suppositalem suo modo causam com-  
municationis esse facile intelligitur, modo attendatur & ibi  
unita se mutuò afficere, & unum in altero actum suum exere-  
re, ut patet in ferro candente, quod per actum ignis ita igne-  
scit, ut igneo certè calore perfusum fiat calidum, urat ac  
splendeat per illum ipsum calorem, qui ignis in ferro existen-  
tis proprius est. Sed hanc in rem plura dicentur in seqq.

### QUÆSTIO II.

*An propria possint communicari?*

Quæstio hæc vix dici potest, quam fudes sit in oculis  
Calvinianorum, cum primis in audientium defensum iri pro-  
pria divina humanæ Christi naturæ communicata, quibus  
hæc in parte pollicem premunt vulpecularum instar Simso-  
nianarum caudis invicem devincti Pontificii, ceu Patroci-  
nium hujus causæ fidelissimè suscepit eorum Achilles Bell:  
l. 3. de Christo c. 20. ex Calvinianis verò fidum Achatem se  
prestitit Keckermannus, totus in eo desudans, doctrinam hanc  
de communicatione exofam reddat, nec non labefactet. Nos  
in præsentiarum duo duntaxat exempla è naturâ petita de-  
promemus, quibus adstructum ibimus communicationem  
propriorum. Primum accersimus à calore ignis proprio, ferro  
communicato, alterum à vitâ, animæ proprio, corpori com-  
municatâ. Etenim argumentum à sensibus derivatum o-  
mnium calculo optimè ducitur. Jam verò deprehēdimus fer-  
rum esse calidum, Sentimus corpus esse vivum, edifferant ergò  
Adversarii, annon per se ignis sit calidus, & ferrū tale fiat per  
accidens ob unionem cum igne? Annon anima per se ac  $\pi\rho\omega\tau\alpha\varsigma$   
vivat, & potestates vitales in se possideat, corpus verò per  
animationem reddatur vivum indeq; ob unionem cum ani-  
ma vitalibus instructum sit potentiis? Hoc sanè adeò certum  
ac tritum est in Philosophorum Scholis, ut nulla specie rectè  
in dubium vocari possit. Quid verò dicendum tandem, aut  
vita est proprium animæ aut corporis, calor ignis aut ferri,  
non hoc, aliàs propria quarti modi possent separari & abesse  
à suis subjectis, quod tamen admittere Calviniani renuunt,  
ergò prius. Ergò beneficio animæ vivit corpus, beneficio  
ignis



ignis ferrum est calidum. Neque verò licebit nunc fingere duplicem vitam, & duplicem calorem, cum nulla nos subigat necessitas entia multiplicandi, & sensibus hæc cum sint obvia, nemo sanè sine ἀρρώστια διανοίας negatum ibit. Aristotel. l. 2. de partib. Animal. c. 2. disertè docet, quædam calida esse per συν-  
δύασιν per unionem sive associationem, ut est ferrum, aut aqua calida. συνδυαζόμενον δὲ θερμόν, οἷον εἰ τις θεῖν ὄνομα ἰδαλί, ἢ σιδή-  
ρω. Hoc etiam modo sanguis calidus est, inquit Phil. d. l. Item, calida quæ sunt, ea vel propriam habent caliditatem, vel alie-  
nam, ἀλλοτρίαν ἔχει τὴν θερμότητα, πρὸς οὐκείαν. Plurimum ve-  
rò interest, hoc aut illo modo calidum quippiam esse. Proxi-  
mum enim est, ut unum per accidens sit calidum, alterum ve-  
rò per se. Item, natura ignis tale quid fortasse est, τὸ ὑποκει-  
μενον subjectum verò vel fumus vel carbo. Adusta quoque ferè omnia habent aliquid caliditatis ut calx, cinis, sedimen-  
ta animalium & inter excrementa fel, eo quod fervore ni-  
mio exaruerint, & relictum aliquid caliditatis in se conti-  
neant. Hæc Arist. d. l.

Argumentamur ergò ita:

Quicquid ob unionem cum igne continet calorem alie-  
num & per calorem ignis fit calidum, illi realiter  
communicatur calor ignis.

Atqui ferrum candens, aqua fervida, carbo & similia alia  
ob unionem cum igne continent alienum calorem,  
& per calorem ignis fiunt calida.

Ergò ferro candenti, aquæ fervidæ, carboni aliisque simili-  
bus realiter communicatur calor ignis.

Minor est adeò evidens, ut sensibus quoque sit exposita satis  
atq; nota. Nec major dubitationis aleam facilè subibit, cum  
ille calor per se ac πρώτως sit in igne, & idem prorsus ob συν-  
δύασιν attribuat ferri, aliisque cum igne unitis, quæ propter  
ea proprium ignis participant, ita ut per eum unà cum igne  
calefaciant, & urant. Cauterium ignitum imprimendo urit &  
urendo facit impressionem: Machæra ignita urendo incidit,  
& incidendo urit, quod neutra natura ignis aut ferri sine al-  
tera præstare potis est. At verò communio actionum præsup-  
ponit communionem propriorum & naturarum, Goclenius  
in



in disput. de carbone, machera & cauterio ignitis anno 1614. Marpurgi habita, mirificè sudat in pervertendis atq; eludendis illis exemplis. Et primò quidem fingit duplicem calorem, ut alius sit ignis proprius, alius ab igne productus, qui ferro inhæreat: *Impossibile, inquit, est, ut ignis sit in aliquo τῆν οὐδὲν αἰετῆ, ut non producat in eo qualitatem suo calori similem per alterationem seu variationem, quâ id, quod est actu frigidum, expulsâ actuali frigiditate, sit calidum*: Dicimus ergò calorem esse in igne habitu naturali, in ferro verò participatione. Quod enim uni competit per naturam seu essentiam, alii competere potest per participationem. Zabara. lib. de calore cœlesti cap. II. Resp. concedimus variationem aliquam, cum omninò calidum fiat ferrum, sed an talis ea sit, quâ novus calor producat ab igne divisus, qui inhæreat non igni, sed ferro, hoc erat demonstrandum. Certè igneus iste est calor, ob quem ferrum dicitur calidum. Ergone iste separari potest ab igne ita, ut transfundatur in aliud subjectum, nempe in ferrum? aut potestne calor igneus produci sine suo subjecto? Unus ergo calor iste erit, qui naturali habitu inest igni & participatione ferro, eiq; adeò communicatur. Zabarella de mistis corporibus loquitur, quibus calor elementaris, utpotè igneus dicitur inesse per participationem, idem scil. iste, quem tanquam proprium accidens Elementa calida habent per essentiam. Ergo mistis competit ob unionem cum igne & per communicationem proprii caloris. Porro pro obtinendâ sententiâ talem Goclenius format Syllogismum:

*Forma materialis sive substantialis, sive accidentalis fuerit, non potest una re & numero esse in multis materiis re, numeroq; distinctis.*

*Ignis forma essentialis & accidens calor sunt formæ materiales.*

*E. ignis forma & accidens calor non possunt simul esse in igne & ferro.*

Resp. Committit Adversarius ignorationem Elenchi, & cum factis larvis disputat. Siquidem confundit subjectum inhæSIONIS & denominationis, mediatum & immediatum. Age declarabimus rem exemplis. Tactus (dolor & voluptas) estne in homine, in cute, in nervis seu membranis, in anima hominis? punge cutem, discinde digitos, & respondeas expertus? Pulchritudo estne in facie hominis, in colore, in figurâ, in quantitate, in cute? Sed quid opus est ambagibus. Non dicimus propria communicari sine suo subjecto, in quo primò sunt manentq;, sed

C

per



per unionem subjecti primi, quia videlicet ( ut acutissimè Rever: & Excell: Dn. Jacob: Martin: in prælect. extemp. contra Keckerm. p. 256. docet) *subjectum, quod proprium aliquod in se habet, cum alio unitur, tum, ut ipsum subjectum per istam unionem ἔσονται ἑνὸν sit illius, quo cum unitur: Sic etiam ejus proprium sit illius, cum quo subjectum unitum est, ita tamen, ut tantum in suo subjecto sit per invasionem, in eo autem, cui communicatum esse dicitur, per communem possessionem ἔσονται ἑνὸν, &c. vid. ibi si placet plura.*

Cæterum de vita, quod nimirum ea corpori animato communicate- tur, res adeò clara est, ut sine absurdissimis commentis in dubium possit vocari minimè. Goclenius quidem vitam comminiscitur duplicem, aliam animæ, corporis aliam. Quidam eò progrediuntur, ut statuant vitæ subjectum, nec animam esse, nec corpus, sed quod ex animâ constat pariter & corpore, nempe corpus animatum, cujus vita non sit à solâ animâ, sed à corpore quoq; &c. Verùm omnium rectissimè rem tenet Aristot: quando lib. 4. Metaph. cap. 18. docet, hominem quidem secundum se vivere, seu vivum quid esse, ita tamen, ut in animâ tanquam in primo subjecto sit vita: ἡ γὰρ ψυχὴ μέγιστον τὸ ἀνθρώπινον ἢ πρῶτον τὸ ζῆν. Cui subscribunt magni nominis Theol. & Philol. Joh. Schröder, D. Jac. Martini, B. Meisnerus, in quorum uberiori explicatione & informatione nos lubentissimè & merito quidem acquiescimus.

### QUÆSTIO III.

#### *An Essentia simplicissima sit expers proprietatum?*

Non præter rem me facturum arbitror, si & exercitii gratiâ hanc quæ- stionem παχυλῶς & levi brachio attingam, eò quod partim à materia nostra non adeò aliena esse videatur, partim etiam ipse Beccmannus, Servestanus ille Superintendens & Massonius crebrò in ore circumferat, adeò ut tantum non triumphet in πολυθρύλλητῳ suo: *Essentia simplicissima est expers proprietatum.* Quem Achillem suum mihi quoq; & aliis quibusdam studiosis objecit, cum Servestam unâ inviseremus. Ut ne verò Andabatarum more pugnare videamur, ambiguitatem vocis proprii, quâ ille fallere de industria nec non falli consuevit, evolvamur ante omnia probeq; discernamus oportet. Sunt autem proprietates in duplici differentiâ, quædam prædicamentales & rigorosè sic dictæ, quædam verò transcendentales, divinæ & eminenter tales. Illæ non sunt de essentiâ rei, sed eandem consequuntur, quod declarat Zabarella l. i. post. Anal. in prin-



princip. & in libro de tribus præcognitis c.3. ubi docet eã esse conditionẽ accidentium priorũ, ut subjecto inhæreant, & tanquam ipsi inhærentia considerentur. Hæ verò sunt de essentiã rei & realiter à subjecto non distinguuntur, & vocantur *idia πρὸς κατηγορίαν*, quia per modum proprietatum prædicantur, ut patet in affectionibus Entis. Hinc rectè monet Suarez disp. 3. Metaph. sect. 1. num. 5. *quod aliud sit esse veram, eamq; rigorosè dictam subjecti passionem, aliud verò concipi & explicari, atq; adeò prædicari per modum passionis*: nec incommodè probat Hurtadus de Mendoza disput. Log. sect. 5. §. 20. *Ad propria pertinere omnem conceptum, qui de re constituta jam in suo esse essentiali formatur, sive reipsã ab essentiã sive ratione distingvatur*: Priori modo concedimus essentialiam simplicissimam esse expertem priorum, posteriori negamus 2. Simplicitas opponitur compositioni, & quidem non omni, sed reali & propriã, ubi adsunt 1. termini componentes reales, 2. realiter distincti, 3. qui se respiciunt, ut actus & potëtia. Jam verò proprietates in suo formali compositionẽ haud involvunt, nec realiter à suo subjecto distinguuntur, sed *rei essentiæ*, ut Scholastici loquuntur, *identificantur*. Sufficit igitur formale discrimen seu rationis conceptæ, quod nimirum *νοηµατικῶς* seu in conceptu formali attributum non sit ipsum subjectum. Neq; 2. subjectum & attributum habent se ut actus & potentia. 3. Patet hoc ex Metaphys. de Ente, quod Massonio in anatom. universal. triumph. p. 646. (sed perperam) est genus analogicum, Dei & Creaturarum. Nam Ens simplicissimum est, & tamen veras, reales & positivas agnoscit proprietates, quod quamvis Massonius p. 638. negare videatur, inquit: *Ens ist das essentiã hat; vnd ist also compositum*: attamen toto cœlo aberrat, quod vel ex suæ professionis & fidei hominibus discere potuisset. Sed manum de tabula. Dubia, quæ hanc lucem obscurare posse videbuntur, ipsi conflictui reservabimus.

### Superpondia.

I.

Notaverat Adm. Reverend. & Excell. Dn. Jac. Wellerus, Cognatus & Præceptor meus æternùm honorandus, in disp. Anti-Masson. p. 1007. pessimè Calvinum, Tremelliũ, Piscatorem, Sixtin. Anama, Paræum, Tossanum, Rivetum, aliosq; versionem Lutheri Gen. 4, 1. קִנִּיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה. Ich habe den Mann den Herrn correxisse. Sed hoc Massonio concoctu erat impossibile, hinc p. 69. nimium quantum defudat, suos ut vindicet asseclas,



affectas, sed ruinosis admodum nititur fundamentis & funiculos ex arenâ neçtit, ut cuivis inspicienti patebit. Nos unicum ei opponimus locum, ubi non tantùm eadem ratio positus, sed & eadem prorsus conspicitur accêtuatio. Iste habetur Ezech. 4, *לִּמְחִימָהּ עַל יְרוּשָׁלַיִם* *civitatem Jerusalem.*

2.  
*חֵכְמָה תְּרַנֶּה* Proverb. 1, 20. omninò canoni, cum Admod. Rever. & Excell. Glafsio, quem in Grammaticâ sacrâ in ordine ponit XXIV (*pluralis pro singulari quandoq; adhibetur ad denotandam excellentiam*) annumerare non dubitamus, ut *ה* sit *נוֹסֵפָה*, & sensus emergat, Sapiencia summa seu Eximia (Christus) clamat.

3.  
*אֲשֵׁרִי* Psal. 1, 1. est particula.

---

*CL. Dn. M. ADAMO SPENGLERO S.*

**Q**ui modò Collegi Sipientum Assessor; honores  
Jam, SPENGLERE, NOVOS, Numine ductus, adis.  
Perge viam sudore tuo virtuteq; dignam,  
Et BEROLINENSIS scepra capesse scholæ.  
Fido Doctori nequeunt *ἰσοῦροποι* reddi,  
Nec referet grates iste vel iste pares.  
Sed merces erit ampla DEUS; fidumq; patronum  
Qui tibi se præstet, forsitan unus erit.  
Tu quoq; , BORNITI, stadium decurre laborum,  
Sic aderit tandem summus honoris apex.

Paulus Röberus D. Prof. Pastor  
& Superint. Witeberg.

---

**I**lle Tuus fibris conclusus fervor in imis,  
Pubi operam posses si qua locare Tuam:  
Nunc voti Damnas: Spenglere, exerceat omnem  
quam suxisti artem: Teq; per astra vebat!

pro felici demandati officii successu  
gratulabundus scribebat

*Job. Hulfemannus D.*



05 A 1755

ULB Halle

3

003 785 890




VOM











I. N. 7.  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
*De*

# Unione & Communica- tione.

*Quam*  
PRO LOCO

IN AMPLISSIMO FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
COLLEGIO BENEVOLE SIBI CONCESSO,

*Examinandam publicè proponit*

M. ADAMUS SPENGLER,

Neukircho-Var, Seren. Elect. Saxon. Alumnus,  
& Gymnasij Berlinensis vocatus Rector.

*Respondente*

M. JOHANNES ERNESTO BORNITIO  
Wurzenâ-Misnico.

*In Auditorio Majori.*

ad d. 3. Julij.



WITEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO MDC. XLI.